



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

CONSILIVM CCCCIX.

APERTAM calumniam continet oppositio, seu defensio Ioannis vander Hagen, suorumque consortium, adversus intentionem Magistrorum, Provisorum pauperum Parochiæ S. Gaugerici Bruxellensis, huius causæ Actorum. Nam generalis illa exceptio, quod cum pauperibus non sit testamenti factio, & quod pauperes ex testamento acquirere non possint, saltem titulo universalis, imperitiam juris in patrono Reorum aperte redarguit: * cum aperta sit juris constitutio, permittens non tantum legata, vel fideicommissa pauperibus relinqui, *l. id quod pauperibus C. De Episc. & clericis*; verum etiam universales institutiones, tam ex alio, quam ex parte adscribi, *l. si quis ad declinandam C. eod. tit. & ibi Baldus*. Ut & in eo aberrat patronus, quod obijcit, leges Iucundi Adventus, & constitutionem secundum illas promulgatam, de non relinquendis bonis immobilibus manui mortuæ, in qua dicuntur esse pauperes in genere, seu pauperum administratores: nam vetat illa constitutio acquisitionem & retentionem bonorum immobilium, non legata relicta, non donationes, non venditiones illorum, si sic fiant, ut non impingant in dictam prohibitionem. Quemadmodum Petrus vander Hagen testator suam voluntatem accommodando ac conformando ad dictam prohibitionem, prudenti consilio in substitutione pauperum, de qua in hac causa quaritur, factam mentionem dictæ prohibitionis, aperte declarat, quod quoniam Collegium, seu universitas pauperum non possit acquirere bona immobilia, sub dicta substitutione comprehensa, per Provisores pauperum distrahi, & ex pretio confecto, redditus annuos comparari ad sustentationem pauperum velit; quorum reddituum acquisitio his personis seu collegiis prohibita non est.

Neque admittendum est, quod obijcitur, hanc testatoris cautionem esse fraudulentam, in fraudem dictæ prohibitionis adscriptam: nam in fraudem legis nihil facit, qui se legi conformat, & ne in illam impingat laborat, id faciendo, quod ius permittit. Permittit autem in genere ius, legata quæcumque & institutiones pauperibus adscribi, *d. l. si quis ad declinandam*: & per dictam constitutionem particulariter prohibetur tantum acquisitio immobilium, quam testator hoc provido consilio omnino impedit. * Cum alioqui etiam simpliciter relicta huiusmodi collegiis aut personis, quæ certorum bonorum incapaces sunt, sine suo delicto aut vitio, sed ex externa aliqua alia causa; veluti ex statuto, cum scilicet prohibetur alienatio in non subditum ex professione; ut in fratre Minore, *Clem. Exvi De verb. signific. ex conditione personæ, ut in servo, valeant & efficacia sint*; si non ad plenam acquisitionem, & retentionem ipsarum rerum, saltem ad hoc, ut eis debeatur pretium seu æstimatio earum, *Gloss. & DD. in l. Apud Iulianum §. ult. de legat. 1. Gloss. in verbo domum in c. 1. §. 1. De religiosis domibus lib. 6. Card. Zabarella consil. 102. nu. 2. Ioan. Mar. Riminal. consil. 499. Circa statutum nu. 4. vol. 3. præsertim, quia per hanc testatoris cautionem, nulla dictæ prohibitioni fraus fieri possit, propter simplex & absolutum testatoris præceptum prædictis Provisoribus*

Conf. Wamel. Tom. II.

datum, de vendendis bonis immobilibus sub dicta substitutione comprehensis; eâ intentione, ut prohibitioni non contraveniretur, & pauperibus adscripta substitutio per pretij surrogationem plenum effectum haberet. Neque enim finalis & præcipua causa prohibitionis in eo consistit (quod Patronus Reorum sibi persuadet) quod Ecclesiasticis collegiis satis sit provisorum. Nam si ea esset causa constitutionis, generaliter fuisset interdicta quorumvis bonorum, etiam mobilium & reddituum acquisitio, quam dicta constitutio non prohibet; imò sequens ejus declaratio aperte permittit; sed ea ratio impulsiva tantum est pro parte, à qua concludens argumentum non recte deducitur: verum præcipua & finalis ratio consistit in eo, ne crebrâ & perpetuâ facultate acquirendi bona immobilia, Principes & domini temporales patiantur diminutionem jurisdictionis suæ super huiusmodi bonis, quæ sic manum mutantia ad aliterius generis jurisdictionem, Ecclesiasticam scilicet, transeant, *Bald. in c. Clerici nu. 2. De iudic.*

Qua in parte nihil curanda est patroni Reorum illa subtilis, seu potius cavillosa consideratio, quod per huiusmodi relictum saltem aliquo tempore dici debeant huiusmodi immobilia bona virtute dictæ substitutionis pauperibus acquisita; & quod alioqui Provisores illa vendere non possent, nec in alios transferre, *l. si filius tuus C. De donationb. sic ut pauperibus legata videatur proprietates: quemadmodum proprietates ipsarum pauperibus legata videtur, cum testator mandat bona sua distribui inter pauperes, Bald. in l. Et in epistola nu. 6. C. De fideicommissis*. † Nam quamvis subtili ratione id verum videri possit: in vero tamen rei effectu prorsus impertinens & relevans non est; propter momentum huiusmodi acquisitionis, cuius effectum tollit adiunctum in eadem oratione ac clausula mandatum de vendendo seu alienando. Quod præceptum coherens ipsi relictæ, efficit; ut non proprietates rerum, sed illarum æstimatio relicta videatur: quod nulla lex aut statutum prohibet; ideo quæ huiusmodi momentanea acquisitio in considerationem venire non debeat, *And. Tiraguel. in tract. de iudicio in rebus exiguis versis, 18.*

Quod novissimè obijcitur de non aditâ hereditate nomine filiarum, cui substitutio hæc facta est, & de acquisitione bonorum ex contractu non ex successione, prorsus improbabile & absurdum est; factisque diluitur per Actorum scripturam. Cui adiungimus quod huiusmodi anticipatio futuræ successionis speciem ultimæ voluntatis habeat, & mortuo parente, pro successione accipiatur, *l. ult. C. Famil. erisc. Item quod dicta filia ipso iure, sine aditione, etiam facta fuerit patri hæres; propter patriam potestatem, atque ius suicitatis, l. in suis De liber. & posthums*. Atque ita paucis concludo, Reos per omnia condemnandos esse secundum conclusionem præfatorum Actorum.

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Legati testamento relictæ commutatio.

1. Legatum ad certum usum, ad alium converti non debet.

X 3

2. Papa

2. Papa potest relicta in testamento ad certum usum, ad alium convertere.
3. Litera Apostolica gratiose dependet à veritate suggestorum.
4. Rescripta tacitam conditionem habent, Si preces veritate nitantur.
5. Executori literarum Apostolicarum censetur data cognitio super narratis.
6. 20. Fideicommissi cedentis dies inspiciendus.
7. Fideicommissi ius cedi non potest.
8. Pœna falsi precatoris quæ sit.
9. Datum non censetur, quod acceptum non sit.
10. Rescripta stricte accipienda.
11. Legata, fideicommissa hæreditas, ubi petenda & præstantia.
12. Clausula, ut asseri, differt à clausula, uti asseritur.
13. Dictionis, Maxime, quæ sit potestas.
14. Princeps non censetur iuri tertij velle præiudicare.
15. Obreptionis effectus est vitare totam gratiam, etiam in parte, quæ obreptioni non est.
16. Usurarii sunt odiosi.
17. Executor testamenti non potest distribuere ante diem eventus conditionis.
18. Parentes multis casibus suum liberum possunt esse superstitis.
19. Raro contingit etiam in consideratione habenda.
21. Alienari prohibita quando propter dorem alienari possunt.
22. Usura vulgaris, seu communes in dubio intelligenda.
23. 35. Usura supra legitimum modum soluta in sortem imputatur.
24. Scriptura deletio & mutatio præsumitur facta ab eo, apud quem scriptura invenitur.
25. Donatio in dubio non præsumenda.
26. Usurarius usuram repenti, vel in sortem imputari petenti quando obijci possit, audiendum cum non esse, nisi prius ipse retrinuerit usuram, quas ab alijs recepit.
27. Usuraria exceptio est dilatoria, non peremptoria.
28. Usuraria exceptio odiosa est & stricte accipienda.
29. 40. c. Quia frustra De usur. stricte accipi.
30. 34. Obreptio mendacium habet, & in quo differat à surreptione.
31. Mendacium quando possit esse sine dolo.
32. Error in facto proprio probabilis.
33. Papa non aequè laicus, ut clericus suum ius aufert.
36. Usura indebitè soluta repeti posse.
37. Usurarum solutarum donatio vel remissio non præsumitur.
38. Exceptio dilatoria quæ & quando etiam post litem contestatam opponi possit.
39. Usurarius quoad tria excommunicatus est.

CONSILIVM CCCCX.

IN processu coram Venerabili Domino Decano S. Petri Lovanienfis Iudice & Executori ex delegatione Apostolica constituto, inter M. Antonium Z. y, Medicinæ Doctorem Impetrantem; & Iacobum du Boys Reum, duo in effectum sunt præcipua, seu principali a capita. Primum, in quo consistit Actoris intentio; an dictus Impetrans ex literis Apostolicis fundatus sit ad concludendum & petendum, ut Reus condemnatur, juxta tenorem dictarum literarum, legarum mille octingentorum florenorum, testamento quondam Lucæ Zoy suistratis, ipsi relictorum,

cum cessis pensionibus ad liberam dispositionem Impetrantis relinquere, atque ipsi dare & persolvere? Alterum, in quo versatur Rei exceptio seu defensio, si & in quantum Actoris intentio fundata invenietur, an solutiones per Reum successivè Actori, ratione huiusmodi legati taciæ, ad summam circiter quater mille sexcentorum florenorum, eidem Actori primum in usuras seu interesse, & deinde, quod superest, in sortem dictorum mille octingentorum florenorum impari debeant? In primo capite hoc quaritur, an valeant & efficaces sint dictæ literæ Apostolicæ, quibus S. D. N. Papa ad instantiam dicti Actoris testamentum, voluntatem, & dispositionem præfati quondam Lucæ Zoy in anno 1555. conditam, inter alia continentem, quod idem Lucas dicto M. Antonio suo fratri legaverit summam mille octingentorum florenorum per sui testamenti Executores applicandorum ad bonum & sufficientem annuum hæreditarium redditum, ad opus & utilitatem dicti M. Antonij; ut is illo utatur fruatur, viâ suâ durante: additâ hac substitutione, quod in casum, quo Antonius vitam terminaret, nullis hæreditibus tempore suæ mortis relictis, dictus redditus pro una media parte reverteretur ad ipsius proximios hæredes tempore mortis suæ, & altera medietas converteretur in distributionem pro pauperibus, & honestis domiciliariis: attribuendo eidem Antonio licentiam & facultatem dictos mille octingentos florenos, cum omnibus decursis & decurrendis fructibus seu redditibus, levandi, exigendi, recuperandi, illosque alienandi, & in ipsius ac familiæ suæ usus, & utilitatem, necnon dotes filiarum suarum convertendi, & liberè de illis disponendi.

De quo quidem quæritur, non quod de potestate Papali ea in re dubitatio ulla sit. * Etenim regulariter nulli inferiori liceat, ne quidem causâ vel alterius, vel majoris pietatis, commutare ultimas defunctorum voluntates, nec quod certo modo, vel ad certum ulum, aut certi hominis commodum relictum est, in alios usus, ad alterius utilitatem convertere, l. 1. de admin. rer. ad civit. pertin. quamdiu usus à testatore præscriptus effectum sortiri potest, l. Legatum eod. & l. Legatum civitati De usufr. legato. * hoc tamen receptum est, summum Pontificem, si non ex ordinariâ, saltem ex absolutâ potestate, id posse; iustâ præferrim causâ concurrente, Clement. Quia contingit De relig. domib. Baldus consil. 277. Ordinatio vol. 4. Guido Papa decis. 556. Aufrer. decis. 26. Capra in v. gul. conclus. 112. Et cum commutatio fit in causam priam, qualis est causâ dotis, Alciatus consil. 479. Magnificus equitis nu. 50. de quâ hic agi videtur, etiam causâ, quæ mutatur, & in quam destinata erat voluntas testatoris, sit vel pro toto, vel pro parte pia; ut est in proposito quoad medietatem huius fideicommissi pauperibus adscripti; huiusmodi tamen causæ in manu Papæ sunt, & illi manâ esse censentur; præsertim ubi agitur de jure non quæsito, sed dumtaxat quæ reitudo, seu ad rem ex conditionali dispositione, c. fin. De concess. præb. lib. 6. Alciat. d. nu. 50. Sed ideo id quaritur, quod consistit S. D. N. Papæ per huiusmodi literas non voluisse dictam commutationem facere ex ablo-

absoluta & supremâ sua potestate, quâ supra jus est; sed ex ordinariâ. Prout etiam in dubio, cum Pontifex quid à iuris ratione aliquo modo exorbitans concedit; non censetur id facere ex illa absoluta potestate, sed potius moveri ex causâ rationabili, prout convenit ejus ordinariâ potestati; ut in his terminis decidit Bihus, in l. si testamentum C. de testam. Natta conf. 2. 1. Reverende pater nu.

3. * Constat autem id ex eo, quod non motu proprio, & ex certâ suâ scientia, dictam commutationem Papa fecerit; sed ad suggestionem, petitionem, & instantiam dicti M. Antonij, c. si motu proprio De prob. lib. 6 ita ut validitas dictarum literarum omnino dependeat à veritate eorum, quæ dictis M. Antonij suæ Sanctitati pro obviendis his literis suggessit, narravit, & exposuit. * Ut generaliter omnia rescripta, seu quælibet literæ gratiæ ad postulationem partis concessæ, itant semper & firmitatem accipiunt sub eâ conditione, si preces veritate nitantur. l. Etsi c. si contra ius vel util. publ. c. Super literis De rescript. talis quæ est illorum natura & conditio, ut in illis semper subintelligi debeat clausula, si ita est; si preces veritate nitantur c. 2. De rescript. Vi quead. ut non subintelligat hac clausula seu conditione, apertam iniquitatem contineant, & de falso suspectæ haberi debeant, vel presumi per nimiam inhumanitatem importunitatem extortæ, Anchar. consil. 240. Per prædicta.

5. Vnde est, quod etiam coram Executore ad executionem hujusmodi literarum gratiæ dato, præscriptio hoc est exceptio mendacij seu negatio, vera esse, quæ supplicans narravit proponi, & opponi possit, & quod super eo Executor tamquam datus seu delegatus Iudex, cognoscere & sententiam ferre possit, l. Prescriptio C. si contra ius vel util. publ. Nam quando Papa vel Imperator alicui mandavit executionem alicujus negotij, quod ipse Papa seu Princeps, quoad indaginem veritatis narratorum non examinavit, etiam si cognitio nem non commiserit, censetur illius cognitio Executori etiam mandasse, l. Etsi non cognitio C. si contra ius vel util. publ. Bart. in l. à divo Pio in princ. l. e re iudic. q. 60. art. d. consil. 240. Et quidem cum ea obligatione, & comminatione, ut si Executor veter precum, seu narratorum falsitatem argui, multa decem librarum auri puniatur, l. Puniri. C. si contra ius vel util. publ.

Quare non recte pro parte Actoris obiectum fuit, quod præfato Domino Decano non tam causâ cognitio, quàm gratiæ per impetrantem impetrata publicatio & executio sit mandata. In qua tamen obiectione non perstitit, sed ulterius progressus est, ad conatum verificationis eorum, quæ iuxta Sanctitati pro obviendis his literis exposuit. In quo conatu si defuit, dubium non est, quin dictæ literæ Apostolicæ præcisè & limitatè super illis fundatæ, non valeant, nec efficaces sint, ad hoc, ut Reus secundum conclusionem ab Actore in hac causâ propositam, condemnari possit, d. l. Etsi, Anchar. consil. 34. In hac causâ de quo nunc disquirendum est.

Exposuit Act. r. suæ Sanctitati pro impetranda gratiosa hac commutatione; & in hac causâ recapitulando pro obtinenda dictâ conclusione

Conf. Wamef. Tom. II.

allegavit, inter alia hæc sequentia. Primum, quod gravatus esset sex filiabus, partim puberibus, partim impuberibus, & uno filio infante, ac præterea uxore gravidâ: secundò, quod nobilis esset familia sua, valde gravatus: tertio, quod senex, & valetudinarius esset: quarto, quod verosimile non sit, quod sine liberis decederet; & quinto, quod à proximioribus agnatis, & consanguineis obveniret remissionem dicti oneris, seu fideicommissi, quatenus eos concernit. Quæ sanè omnia verificata non sunt. Etsi enim Reo consistente satis constet, Actorem esse nobilem, sex-genario maiorem, septem vel octo liberos cum uxore gravidâ habere, ideoque quoad hujusmodi allegationes non fuerit illi necesse testes producere, vel exhibere instrumentum attestationis in alia causâ & inter alias partes, Reo ad hoc non citato, & sic omnino nulliter factâ, c. 2. De rescript. l. 2. C. Res inter alios act. utcumque etiam constet, quod sit valetudinarius, ius vel solo senio hoc causante; item ut concedatur, quod pauper sit: hæc tamen quod pro quinto proposuimus, videlicet quod à proximioribus agnatis, & consanguineis obveniret remissionem dicti oneris, seu fideicommissi, quatenus eos concernit, nullo modo constat verum esse, sed per Reum apertè negatum, Actor nullo genere probationis verificavit. Non instrumentum aliquo, quod nullum exhibuit, præter dictam attestationem, in qua de hac re nulla est mentio. Non etiam per testes, qui duo dumtaxat producti & examinati sunt; quorum posterior super hac allegatione non examinatus, nihil etiam hac de re deposuit. Prior Jacobus Scharon hoc testificatur, quod ante a ior. septem vel octo ab Actore, dicto Reo tradendum, acceperit instrumentum quoddam, loquens de consensu aliquorum amicorum dicti Actoris super remissione fideicommissi; quodque ipse Jacobus idem instrumentum Reo tradiderit, & quod super ea remissione fuerit facta quadam consultatio per Clarissimos Doctores & Magistros Joannem Wamefium, Petrum Peckium & Georgium Wyffliet: verum cum solus id testificetur, fidem non meretur, l. iurifurandi C. de testib. nec semiplenam probationem facit, super qua per D. Iudicem Actori in supplementum probationis debeat vel possit deferri iuramentum; ob id, quod etsi super eo jurare ex animi sui scientia possit, quod aliquod instrumentum remissionis ex Italia ad Jacobum Reo tradendum miserit: hoc tamen perinde ex certa scientia jurare non possit, quod Jacobus idem instrumentum Reo tradiderit; quia de alieno facto nemo jurare potest; & iuramentum illi deferendum est, qui scit veritatem, l. Mariellus & ibid. Gloss. Res. amos. Guido Papa consil. 235. Joannes de Plastro nu. 3. Præterea ex hac ejus depositione nullo modo constat, per quem seu quos facta fuerit illa remissio, & qui fuerint illi aliqui amici. Ita ut inde conclusenter dici non possit, quod proximiores agnati dicti Actoris eandem remissionem fecerint; quod tamen in omnem eventum necessarium esset. Nam per amicos intelligendo cognatos aut agnatos, fieri possit, quod illa facta fuit per aliquos remotiores, non etiam propinquiore, quæ nullius momenti esset: cum

hoc fideicommissum pro medietate huius summe concernat non quosvis amicos, sed maximè propinquos ex suo latere. * Quod quamdiu fideicommissi dies non evenit, incertum planè est: cum dies cedentis huiusmodi fideicommissi, hoc est mortis præfati Antonij, in consideratione haberi debeat; ut tunc discernatur, quinam sint plus propinqui ex latere suo, l. Cum ita §. in fideicommissio De leg. 2. l. Si cognatus, & utrobique Doct. De rebus dub. Equidem fieri possit, ut qui nunc propinquior est, morte sua propior esse desinat; propiore manente eo, qui cum sequitur: ita ut incerta sit remissio fideicommissi, cuius dies utiliter non illi, sed alij cedere potest; & per consequens sine effectu futura ad hoc, ut fideicommissio oneratus onus illius omnino excurrere, & rem pleno irrevocabiliq; iure sibi retinere, & de ea libere disponere possit, l. vilius famas §. diu de legat. 1. Lud. Rom. consil. 452. Circa primum. Deinde quoniam hic idem unicus testis dicit, per præfatos tres iureconsultos super hac remissione factam fuisse quandam consultationem, & quod ad illam se referat, & consultatio adhuc extet, & in actis huius causæ exhibitæ sit; manifestè deprehenditur, illam non fuisse remissionem factam per aliquem ex amicis seu agnatis M. Antonij vocatis ad hoc fideicommissum, quorum nulla sit mentio in dicta consultatione; sed dumtaxat per ipsius Antonij liberos, de quorum consensu meminit dicta consultatio: ad quos quidem liberos, ut non pertinet, nec pertinere potest hoc fideicommissum, cuius dies post eorum mortem dilatus est, ex causis in dicta consultatione deductis: ita nec eorum remissio aliquid operari potest in eo, quod ad eos non pertinet, multò minus tertio alicui nocere.

Ex quibus manifestè patet, quod allegatio Actoris de impetratâ remissione à proximioribus agnatis & consanguineis, nullo modo probata sit; multò minus narratio, de qua fit mentio in dictis literis Apostolicis; videlicet quod ipse M. Antonius à suis agnatis proximioribus, in eventum prædictum obtinuerit cessionem iurum eis competentium. De quâ cessione etiam nullum omnino profertur documentum; & dictus unicus testis nullam prorsus mentionem fecit. † Cum aliqui huiusmodi cessio, si facta esset, inefficax maneret, & nulla esset; quia ius fideicommissi rei alicujus restituendæ post mortem, conditionale est, l. 1. §. & cum triplici in fine c. De cad. t. l. l. Si cum hares l. Si dies quando dies legat. & fideicom. cedat; nec ad honoratum ante eventum conditionem pertinet, d. l. Si des; nec ad hæredem honorati transmittitur, si ante diem eventus conditionis honoratus debeat, d. l. 1. §. si autem aliquid; & cum transmissibile non sit, non potest quoque per honoratum pendente conditione cedi; quia eo loco est hoc fideicommissum, quamdiu pendet conditio, quasi non sit, l. 1. §. damnum §. quod pendet De reg. iur. l. 3. §. acquirere de bon. r. poss. l. Ex pluribus & ibi Bart. De admin. tutor. Non est igitur per Actorem ullo modo probata allegatio remissionis fideicommissi, nec cessio iurum proximioribus agnatis ad dimidiam dicti iurum redditum competentem. Nec audiendus est Actor in oblatione sui juramenti nominatum facta super veritate impetratæ remis-

sionis dicti fideicommissi à proximioribus suis consanguineis; ex quo nihil omnino de illa probatur, & spontaneè oblato juramenti nulla sit vis nisi facta saltem semiplena probatione, c. fin. De iur. iur.

Vnde propius accedendo ad punctum, in quo pendet decisio huius causæ, inferitur, propter huiusmodi falsam narrationem, seu suggestionem remissionis, seu cessionis, dictas literas sic vitari, ut nulum commodum ex ijs referre possit Actor. Nam & civilia & canonica iura, d. c. super literis, c. Si proponente de rescriptis. p. Gemm. cons. 63. dubia, non tantum in literis iustitiæ, sed etiam gratiæ, Felin. in d. c. Super literis post præmenda precatori, sic per falli suggestionem obrepent, hanc penam statuunt, ut impetratis, & omni comodo literarum penitus ac prorsus carere debeat, si per fraudem & malitiam falsum expressum fuerit; ut est in proposito. Non potest enim non falsò, dolo & fraude expressum esse de hac remissione seu cessione, quam factam non esse, (quia non præsumitur, quamdiu non probatur) dictus M. Antonius ignorare non poterat: cum eadem remissio seu cessio non tam in alieno, quam proprio ipsius facta, cuius nulla potest esse probabilis ignorantia, l. ult. v. pro suo, consil. 4. Non enim intelligitur remissio, aut cessio facta; nisi eam petenti stipulanti & acceptanti: cum sine acceptance seu acceptatione datio seu donatio, quæ consistit in huiusmodi remissione, seu successione non intelligatur. Non potest enim videri datum, inquit Donatus, apud Terentium in Andria sub fin. quod non sit acceptum; idcirco abest, & ignorant donatum, pro non date est, quamdiu is, cui donator donatum voluit, id non acceperit seu acceptaverit, l. Absenti De donat. Quod quidem periculum nullitatis impetrationis, seu commutationis huius, ex hac falsa suggestionem metuens Actor, tandem sub finem huius litis obtulit Reo medietatem dictorum mille octingentorum florenorum, quæ dictos proximiores consanguineos concernit pro cautione & securitate Rei in civitate Bononia, aut in civitate Astensi in Italia ad annum redditum applicare; ut is dictis proximioribus hæredibus salvis sit, si contingat ipsum Actorem ex hac vita decedere sine liberis, & sic diem fideicommissi ipsidem proximioribus utiliter cedere. Et in eventum, quo Reus id Actori permittere nolit, petijt saltem, ut Reus de consilio Actoris in ipsidem locis id faciat ad opus ius habentis. Verum super ista velut nova petitione, non est lis in hac causa contestata; sed dumtaxat super conclusione restrictæ fundata super dicta commutatione Apostolica; in qua de hac applicatione nulla sit mentio; super qua idcirco etiam Venerabili Domino Decano nulla competit iurisdicção vel cognitio: quia in dictis literis Apostolicis hoc tantum Executoribus deputatis mandatur ut auctoritate Apostolica faciant Actorem pacifice frui & gaudere præmissis omnibus; hoc est ut continetur in dispositiva parte dictarum literarum, Actori concedatur licentia mille octingentos florenos cum fructibus & redditibus levandi, exigendi, & recuperandi; & quatenus in bonis stabilibus reperiantur res & bona seu iura, in quibus sic investiti reperiantur, vendendi, ce-

dendi, & propria auctoritate alienandi, & vendendi, atque in suos, & familia suæ usus & utilitatem, nec non dotes filiarum convertendi, & de illis liberè disponendi: sub quibus verbis non conspicitur mandatum cogendi dictum Reum, ut ei ad hunc finem hi numeri tradantur, ut ipse possit illos pro una medietate ad reditus applicare in Italia, necnon ut Reus cogi possit illos sic ibi applicare.

10. Iam verò manifestum est, rescripta etiam iustitiæ, quoad mandatum & ejus formam, esse strictè accipienda, c. Cum dilecta, c. In nostra in fine, c. Rodolphus De rescript. c. P. & G. de off. deleg. ut omne mandatum cuiuscumque alterius rei, cuius fines mandatarius diligenter observare, nec illius fines ullo modo excedere debet, l. Diligenter D. Mandati; sed eum articulum in dicto rescripto omisam relinquere debet dispositioni iuris communis; † quæ est, quod de hæreditate, fideicommissis, ac legatis agi debeat, illaque peti, ubi vel hæres domicilium habet, vel hæreditas, seu res legatæ sitæ sunt, l. 1. Vbi de hæred. agatur, l. 1. C. Vbi fideicommissi peti oportet. & sic in proposito non in ulla parte Italie, sed in Belgio, ubi Reus habitat, & dictus Lucas testator moriendo domum mortuariam seu hæreditatem reliquit, Deinde si dici posset ad jurisdictionem Domini Decani hoc quoque pertinere, eo quod sine veritatis præiudicio, præsupposito, non esset Actoris huiusmodi sive oblatio, sive petitio fundata. Nam in dicto testamento Lucæ Zoy permittitur & mandatur, non Antonio, sed Executoribus ejusdem testamenti hos mille octingentos florenos applicare ad annuos reditus his verbis, *Pour ceulx deniere estre employez en bonne & suffisante rente heritable par les Exécuteurs pour & au profit dudit M. Anthoine.* Hoc est, ad annuos istos impendendos bonis & sufficientibus redditibus hæreditariis per Executoribus in commodum dicti M. Antony. Ita ut facultas hæc Executoribus permittitur & mandata, illis eripi, ad & Antonium, cui testator ipse id non confidit, transferri non debeat. At nec ipsi Executoribus ad id cogi possunt, ut eam pecuniam in Italia ad reditus applicent: quia testator id non præcepit, & per consequens permisisse censetur, ut eam applicationem faciant in his partibus, in quibus testator mortuus est, & hæreditas ejus relicta est: ibi enim legatum præstandum, & executio facienda est, ubi hæreditas, seu domus mortuaria, sita est, & legatum peti potest, l. cum res de leg. 1. l. Quod legatur De iudicijs.

12. Manet igitur effectus dictæ obreptionis ex falsa suggestione seu assertione, de hac amicorum, seu agnatorum proximorum cessione, * præsertim quia in expressione illius Papa sese formaliter retulerit ad assertionem M. Antonij, per hæc interposita verba, *Vt asseru.* Huiusmodi enim expressio, detegit mentem concedentis gratiam, quod voluerit asserenti incumbere onus probandi huiusmodi assertionem, antequam possit ad effectum illius pervenire: quasi gratia sub eâ conditione & non alio modo concessa. Aliter quàm si imperfonalibus verbis dictum esset, *Vt asseritur;* quia illa respiciunt magis personam concedentis, quàm impetrantis, ut plerique putant, *Rota de*

cis. 60. alias est 74. Nota quod ubi De rescript. in antiquis, Zabarella consil. 69. Quoad primum n. 6. Præses Evertardi consil. 101. Reverendæ in fine * Quem obreptionis effectum non diminuit, quod addita sit ea in parte dictio, *Maximè;* & quod per eam causa cessionis huius gratiæ videatur tantum accessorie, & non æquè principaliter consistere in assertione huius cessionis seu remissionis; quodque etiam cessante, aut falsa reperta hac assertionem, aliæ causæ, videlicet nobilitatis, numeri septem prolium uxoris gravidæ, oneris familia, senij, & afflictæ valetudinis sufficient ad sustinendam hanc commutationis gratiam. Nam vis & potestas huius dictionis, *Maximè,* etsi plerumque sit comparative; interdum etiam superabundet, *Gloss. in c. Sponsam De sponsal. accumulationem tamen & conjunctionem laxissimè facit; effectusque ut comparatum non sic accipiat, quasi alias quoque idem, sed quasi alias idem non sit, l. Vtucapionem de usufructu l. 3. De concub.* hoc est in proposito, quod ceteræ causæ ut minores per se non sufficiant, nisi ex conjunctione huius, quæ plus ponderis habet; quasi scilicet per illius accessionem tollatur consideratio alterius præiudicij. † Vt in dubio Papa seu Princeps in quocumque privilegio seu gratia non censetur velle juri tertij alicujus præiudicare, nisi id specificè exprimatur, l. 2. §. si quis à Principe Ne quid in loco publ.

Satis ergo in proposito ad inducendum effectum nullitatis, est, quod in accumulatione plurium causarum, quas M. Antonius suæ Sanctitati exposuit & asseruit, una, & præsertim illa, quæ principalis est, & ad movendum concedentem plus momenti habet, invenitur esse falsa. Vt in proposito est assertio de cessione agnatorum proximorum; sine quâ non est verisimile Papam fuisse facturum hanc commutationem cum præiudicio proximorum agnatorum, ac dictorum pauperum, d. §. si quis à Principe. Cujus quidem nullitatis effectus non tantum porrigitur ad illam medietatem, quæ in applicato redditu ex die cedentis fideicommissi perveniret ad proximis agnatos; verum etiam quoad alteram medietatem dictis pauperibus in eundem calum huius fideicommissi relicta. Vis enim & potestas obreptionis in se tanta est, ut quando aliquid falsò per supplicantem suggestum vel assertum est, gratia concessa in totum vitietur, & nullius penitus momenti sit, *clém. 1. De preb. & ibi Gloss. in verb. nullus:* sic ut mendax precator impetratis penitus carere debeat, c. Sedes De rescript. idque non tantum pro qua parte mendax est, sed etiam quæ verum suggestit à Vsq. ad eò ut Panormitanus pro dicto admodum singulari annotaverit, in d. c. Sedes nu. 4. quòd si rescriptum gratiosum continet plura negotia seu capitula, propter obreptionem, hoc est falsi suggestionem commissam in uno, vitietur in totum: licet in surreptione, hoc est veri suppressione in separatis negotijs seu capitulis, vitium in uno non porrigat effectum suum ad aliud, c. Si eo tempore De rescript. lib. 6. quasi minus peccetur surrependo, quàm obrependo, & propriè mendax sit, qui falsum asserit, non etiam verum suppressit. Quod dubitationem non habet, quoties obreptio dolosa est; hoc est cum ex animo & conscientia Impe-

trantiæ

transis falsa est assertio: non tantum si finalem, aut saltem precipuam causam impetrationis contineat; verumetiam si non fuerit precise causa illius, *panor. in d. c. Sedes & ibi Felin. nu. 2. Barbat. nu. 195. Decius nu. 5. qui etiam in d. c. Super literis nu. 1. Phil. Francus in d. c. Si eo tempore nu. 4. Ioan. de Anania in d. c. Super literis nu. 2.* hoc est quia non exposita Papa perinde erat concessurus gratiam. Qui dolus hoc praterea efficit, ut idem in surreptione constitui debeat, si illa quoque dolo malo sit facta; si scilicet non alternativè, sed copulativè, vel connexim plura in gratiosis huiusmodi literis contineantur, *August. Beronius in d. c. Super literis n. 4. 5. & 6.* idque in penam mendacii, quod facit, ut in proposito utile propter inutile vitietur; & sic Executor huiusmodi literarum, nullatenus possit cognoscere, nec secundum formam in literis præscriptam, nec etiam secundum juris ordinem, *Beronius d. nu. 4. & ob id processus vigore huiusmodi literarum factus sit prorsus nullus, Zabarel. in Clem. 1. De prob. & d. conf. 69. nu. 2. Gemm. conf. 128. Super primo in princ.* quia ex huiusmodi surreptione impediuntur omnes effectus literarum in sua natiuitate, *Zabarel. conf. 31. Cum inter religiosos nu. 4. & conf. 96. Videtur unio nu. 1.*

Quod ideo à nobis hic inculcatur, ut demonstraretur in hac causa non esse faciendam aliquam separationem inter illam medietatem, quæ ex hoc fideicommissio, eveniente ejus conditione, competere poterit proximioribus agnatis, respectu cujus Actor per dictam oblationem sub finem huius litis facta, satis agnoscit se non posse consequi effectum dictarum literarum Apostolicarum: & alteram, quæ respicit dictos pauperes, ad quam non extendit dictam oblationem eâ persuasione, quod illa in præjudicium pauperum facilius tolli possit; quasi pijs locis & pauperibus relicta, vel competentia, Papæ (ut superius diximus) manualia sint, & de una pietatis causa in aliam facillimè converti possint. Nam cum hæc duæ medietates in his literis conjungantur, licet diversis personas contingant, & uno modo seu conjunctim convertantur & commutentur ad utilitatem Actoris, debet perinde ad medietatem pauperum pertingere superius demonstratus effectus obreptionis, ut ad medietatem agnatis proximioribus competentem; hoc est, quod neutrius respectu dictæ literæ aliquem effectum habere possint.

Quod proclivius dicendum ex eo, quod ultra vitium dictæ obreptionis ex dolosa falsa allegatione, hic quoque concurrat dolosa M. Antonij surreptio, seu veri suppressio, quo expresso, nulla ratio est verosimile Pontificem hanc gratiam illi facere voluisse. Constitit autem ea suppressio in eo, quod non exposuerit, quod hæc legata pecunia mille octingentorum florenorum ex voluntate ipsius numquam fuerit ad redditus per Reum applicata; sed quod ipse illam ultra viginti quinque annos apud Reum permanere consenserit; accipiendo ex ea causa ab eodem Reo usuras maximas; de quibus in altero huius consultationis capite dicitur. Quod si bonâ fide & apertè Pontifici narrasset, & sic detexisset se verum ex usu & exercitio huius pecuniæ usurarium esse, numquam
16 vero similiter has literas impetrasset. * Sunt enim

usurarii in impetrandis præsertim gratijs odiosissimi, & nullo favore digni, *Bald. conf. 355. in naturale vol. 5. Anchar. conf. 305. Dubium de quo.*

Nihil autem in proposito Actoris patrocinari potest, quod Magistri pauperum civitatis N. non contradicant huic commutationi; & ad hanc litteram postulante Reo vocati, seu intimati responderint, quod non intendunt contravenire voluntati suæ Sanctitatis: nam id non simpliciter & absolute fecerunt, sed conditionaliter; dummodò Impetrans sua narrata verificaverit quoad proles suas; relinquentes id discretioni Domini Executoris dictarum literarum. Cum ergo illa conditio defecerit; hoc est Actor narrata sua, quoad cessionem seu remissionem proximiorum agnatorum, non verificaverit; nullius momenti est ea declaratio: ut omnia conditionaliter dicta aut promissa, deficiente conditione, pro nullis sint, *l. si quis fundum in fine De contrab. empt. l. Si ita scriptum §. 1. de leg. 2.* sed in effectu habentur dicti Magistri pauperum pro contradicentibus; eorum contradictionem sustinente & peragente Reo huius causæ, ad quem priore loco pertinet huius causæ oppositio & defensio. Præsertim quia iidem Magistri discretioni præfati Domini Iudicis id relinquunt: quod evidenter averit cogitationem absoluti consensu; quem etiam iidem Magistri absolute, cum plenâ securitate Rei, præstare non possent ante eventum conditionis, sub qua fideicommissum relictum pauperibus fuit, *l. filius familias §. divus De lega. 1.* quia ante illum ad eos nullo modo pertinebat fideicommissum; & sic contentiando præjudicium facere non possent ipsi Magistris & pauperibus, qui futuri essent tempore cedentis huius fideicommissi, *d. §. divus l. ad. Rem. conf. 452. Circa primum.* * Ut nec Executor testamenti ad bona pauperibus distribuendum in aliquem casum vel diem datus, potest ante distribuere, quam casus vel dies ille advenerit: ne futuris pauperibus, qui supererunt tempore evenientis casus seu diei, præjudicium fiat, *Bart. & Castrensis d. l. Cum pater & filia Bald. conf. 139. dominus Nicolaus vel. 1.*

Quia igitur nullius boni viri, hoc est Iudicis discretio, hoc pateretur, quod Reus Actori hos mille octingentos florenos relaxaret, & liberæ ejus voluntati, secundum temporem dictarum literarum Apostolicarum per dolosam obreptionem impetratarum relinqueret, cum periculo illos iterum partim proximioribus agnatis, partim pauperibus, qui Actore sine hæredibus, hoc est liberis, *l. Ex facto §. fin. Ad s. c. Trebellian. moriente*, superessent præstandi, sine spe recuperandi eisdem ab hæredibus Actoris, suam suorumque pauperatem in hac causa pretextentis; manifestum est; hanc dictorum Magistrorum declarationem suspensam à prædicta Domini Iudicis discretionem, pro pleno & absoluto consensu non esse; sed magis pro dissensu, in casum, quo discretio Iudicis aliud postulareret; ut præmissis, attentis verè aliud postulat.

Nec ad infirmandum, aut trahendum hanc Iudicis discretionem in alteram partem quicquam facit, quod Actor suæ Sanctitati suggererit, non verosimile esse, quod dies huius fideicommissi

missi umquam dictis proximioribus agnatis aut prædictis pauperibus cedet; propter magnum numerum liberorum, quos Actor tempore imperationis habebat, quos omnes non est verosimile morituros ante ipsum iam sexagenario maiorem: nam cum id impossibile non sit, sed in tanta humana vitæ fragilitate, & infinitis casibus qui humanitas contingere possunt, quibusque vita humana obnoxia est, possibile, quod ordine mortalitatis turbato, pater numerosæ proles, in eorum orbitatem incidat, l. *Nametsi parentib. de inoff. testam. cuiusvis observat. lib. 8. cap. 23.* vel peste, vel bello, vel incendio vel ruina, aut naufragio, l. *Qui duos in princ. & §. cum in bello, l. Cum pubere, l. Si mulier de reb. dub. l. Inter foerum de pact. dotali, l. Ex factis §. si qui autem ad Trebel. ratio hujus verosimilitudinis haberi non debet; sed id intueri oportet, quod contingere potest, l. Antiqui §. fin. Si pars hered. petat. * Quæ enim naturaliter accidunt, licet raro, à jure non contemnantur, l. Si maior c. De legat. hered. * Vnde etiam est, quod Pontifex in parte dispositiva dictarum literarum hanc verosimilitudinem non ita absolute assumat & repetat, ut per Act. rem in narrativa parte supplicando proposita fuit; sed his verbis ablativis absolute positus, *stantibus septem liberis prædictis & aliis tuis.* Quæ verba sic absolute posita super eo, quod sua naturâ incertum est, conditionem faciunt, *Doct. ad Rubr. D. Solutio maritum.* in hunc sensum; ut, quamdiu stant dicti liberi, non sit verosimile hujus fideicommissi diem cessurum; & per consequens quoque non verosimile, quod alicui præjudicium per hac commutationem generabitur. Cum ergo hoc incertum sit, an & quamdiu Actor in vivis erit, & an dicti septem liberi perpetuo stabunt, & naturaliter casu fieri possit, ut non stent, sed ante Actorem moriantur diversis casibus; fit, ut hujus verosimilitudinis ratio & consideratio sit fragilis, & per se non sufficiat, ubi sic verosimili obijciatur possibilitas casus aliter contingentis.*

Novissime nihil in proposito ad stabilendam Actoris intentionem facit consideratio favoris, quem jura tribuunt dotibus; præsertim quas parentes præstare debent: ut inter alia, quod prohibitio alienationis per testatorem facta relaxetur, ut non obstante prohibitione prohibitus possit alienare in causam dotis ex nova Iustiniani constitutione, *Auth. Res qua C. Communia de legat. & sic videatur Actori permittenda hæc advocatio dictorum mille octingentorum florenorum ut Actor inde filias suas dotare possit.* Nam quamvis hoc verum sit si hujusmodi prohibitio facta esset liberis; hoc est per patrem filio, aut per avum nepoti, de quibus solis loquitur dicta Iustiniani nova constitutio: idem tamen non obtinet, quando hujusmodi prohibitio facta est per extraneum, *Angel. in d. Auth. Res qua in princ. & ibi Castr. nu. 4. Salicet. nu. 2. l.ason. nu. 12. & 32.* hoc est eum, qui inter parentes non est, l. *unica §. extraneum C. De cad. tollen.* Vtique adeo ut nec à fratre, nec fratris filio idem obtineat; cui si à fratre aut patruo aliquid legatum sit, cum onere alicujus fideicommissi aut prohibitione alienandi rem legatam, non permittitur illam alienare in causam dotis pro sua filia, *aret. cons. 37. Sequendo ordinem*

nu. 5. imò nec patri aut matri, si talis prohibitio ei facta sit in testamento filij, *l.ason d. nu. 32.* Quia igitur hic agitur de fideicommissio, quod frater fratri iniunxit, & iniungendo, tacite censetur alienationem saltem esse æqualem prohibuisse, *Lult. §. si autem aliquid C. Communia de legat. non est habendus aliquis respectus ad favorem dotis, ut ob illam magis permitti debeat alienandi potestas.*

Ex his satis deductum putamus Actori nullum jus, nullam actionem competere adversus dictum Reum ex dictis literis Apostolicis, sic vitio dolosæ obreptionis & surreptionis laborantibus; eique tantum superesse actionem illam, quæ ei competere posset ex testamento dicti Luca ad hoc, ut Reus tamquam Executor ejusdem testamenti, dictos mille octingentos florenos, ad bonos & sufficientes redditus hereditarios applicet. Quam actionem Actor non instituit; ut nec vigore dictarum literarum apostolicarum institueré potuit, quia nullam de ea mentionem faciunt, & sic ad illam non extenditur Domini Iudicis hujus causæ jurisdictio aut potestas, *de c. Cum dilecta.* Quam sanè si instituisset, Reus facillè vel avertisset, vel peremisset obiectione solutionis; quæ ut omnem obligationem tollit, §. *1. Instit. Quib. mod. tollit. obligatio:* ita quoque quæ ex obligatione producit, actionem. Quod uno aut altero verbo obiter in initijs hujus processus per Reum indicatum magis, quàm formaliter propositum occasionem dedit Actori urgendi Reum ad formaliter proponendum, deducendum, ac probandum allegatas solutiones; & Reo id subterfugere cupiente, propterea quod tunc ad manum non haberet documenta hujusmodi solutionum, ulterius adhuc usque ad alterationem pressissimè instandi, & Domino Iudici id etiam per tria decreta decernendi: Quibus decretis Reus parendo (in quo constitit alterum hujus consultationis caput (formaliter allegavit & deduxit se Actori hujus causæ citra annum 1555. (quo dictus Lucas testator mortuus est (ratione dicti legati mille octingentorum florenorum soluisse quatuor milia sexcentos & viginti octo florenos ac decem stuferos. Quas solutiones Actor pro majore parte prius negatas per Reum exhibitis diversis apochis, & documentis convictus, postea confessus est. Quæ summâ quatuor millium sexcentorum & duodecim florenorum cum duobus stufis collatâ cum prædicta legata summa mille octingentorum florenorum, adjuncto quoque ejusdem summæ interusurio, quod Actor ubique interesse vocat, pro viginti quinque annis, qui à die mortis dicti Luca in hunc usque annum lapsi sunt, ad rationem denarij decimi sexti; quo communiter in his regionibus redditus annui hereditarij comparantur, ascendente singulis annis ad centum duodecim florenos cum dimidio; & prædictis viginti quinque annis simul ad summam duorum millium octingentorum duodecim florenorum & decem stuforum; conficitur summa quatuor millium sexcentorum duodecim florenorum & decem stuforum; & sic manifestè deprehenditur, Reum soluisse sedecim florenos & duos stufos ultra quàm debuit, tam ratione sortis, quàm illius usurarum seu inter-

esse;

esse: sic ut respectu Actoris, ratione dicti legati, nihil ei amplius deberi possit, tam quoad capitalem summam mille octingentorum florenorum, quam quoad præteritum interesse, quod Reus Actori pro dictis viginti quinque annis debere potuit, ob moram per Reum commissam in applicandis dictis mille octingentis florenis ad bonos & sufficientes reditus; *l. Cum quidam §. Si pupillo De usuris*. Nam latius sua interfuisse vel interesse Actor nec allegavit, nec docuit; & in dubio præsumi non potest, cum interesse in facto consistat, & ob id probari debeat; *l. Quatenus De reg. iur.*

22 Et cum de usuris seu redditibus agitur, in dubio de iis intelligendum est, quæ in regione utilitiores, & vulgares sunt, *l. 1. De usuris l. apud Iulianum §. in usurarium De leg. 1. l. Tutor qui repertorium §. Sed etsi negavit vers. ex ceteris De administr. tutor.* quales in his regionibus notoriè sunt, vel semissibus paulò minores, denario scilicet decimo octavo, vel semissibus paulò majores denario decimo sexto. Equidem ut majores Actor, qui non est mercator, sed ut ipse allegat, vir nobilis, petere vel sibi imputare possit jus non patitur; *l. Eos §. ceteros C. de usuris*. Et si omnes hæc solutiones de usuris tantum accepto ferendæ seu imputandæ essent, Actor pro tempore, quo hæc solutiones factæ sunt, amplius quam centesimas usuras percipisset: quia omnes solutiones, exceptis nonaginta septem florenis hæc lite pendente solutis, sunt factæ ante exitum anni septuagesimi sexti; & sic per annos viginti & unum: pro quibus computatis usuris ad denarium decimum sextum, competent Actori tantum bis mille ducenti quinquaginta floreni; cum factæ solutiones ascendunt ad summam quatuor millium sexcentorum viginti octo florenorum, & duodecim stusorum: quales usura centesimæ ex iure civili permittæ sunt in certis tantum casibus; inter quos non est hic casus de legato pecuniæ, *d. l. Eos & ibi Gloss. in verb. vel spectatum*.

23 Quicquid igitur per Reum Actori sic solum est, in legitimas usuras seu legitimum interesse computandum est, ad rationem & proportionem denarii decimi sexti; & quod eo deducto superest, in sortem imputandum est, *d. l. Eos §. Si quis autem*. Quæ imputatione in proposito facta, deprehenditur ultra usuras, seu debitum interesse, & sortem principalem, hoc est dictos mille octingentos florenos, Actori solum esse; ideoque illi nullam ad hos mille octingentos florenos actionem competitissæ tempore impetrationis dictarum literarum Apostolicarum: quas proculdubio Actor nullo modo obtinisset, si apertè & bonâ fide suæ Sanctitati exposuisset, se tantam pecuniam nomine seu vice usurarum, sive præteriti interesse percipisse, ut superius dictum est. Ut meritò Reus amplius seu ulterius gravari ab Actore non debeat; qui in eo periculo adhuc constitutus est, ut si casum fideicommissi huius evenire, hoc est Actorem sine liberis mori contingat, non obstante eâ solutione cogatur dictos mille octingentos florenos propinquioribus agnatis & dictis pauperibus solvere, aut ad opus illorum ad bonos & sufficientes reditus applicare; quia scilicet præmaturè dicto Actori tam amplam solutionem fecerit, *d. §. à filia, Lnd.*

Rom. consil. 452. Circa primum nu. 4.

Laborat plurimum Actor, ut hanc obiectio 24 nem receptarum tam magnarum usurarum evadat; usque adeo ut etiam non abstinuerit à crimine falsi commissio in literis, quas à Reo accepit sub data decimæ quartæ mensis Septemb. anno 1576. quibus Reus Actori significavit se tam magnas, videlicet centesimas usuras, seu interesse solvisse, usque ad duos annos à data earundem literarum novissimè retro præteritos; hoc est usque ad annum 1574. includere; mutatâ dictione Gallicâ, *Deux en Douze*, hoc est, *Duos in Duodecim*; quasi illas magnas usuras Actor solvisset dumtaxat ad duodecim annos à data earundem literarum retro præteritos; hoc est usque ad annum sexagesimum quintum. Quæ falsitas per Reum detecta fuit, partim per demonstrationem ocularem, & variationem atramenti seu scripturæ, c. *Inter dilectos, de fide instrum.* partim ex fide earundem literarum; partim denique per exhibitas quitantias: ut de ea dubitare non oporteat, præsertim quia Actor sic convictus hoc tantum allegat, se sciente huiusmodi corruptionem seu mutationem factam non esse, quæ allegatio planè improbabilis est, cum ex litera apud Actorem repertæ sint, *l. Si chirographum & ibi Doct. De probat. Doct. in l. Labeo De pactis*; & is illis sic corruptis in hoc iudicio utatur, *l. Si falsos c. Ad leg. Cornel. de falsis*, ideoque meritò causâ cadere debeat, *l. In fraudem §. quoties & ibi Gloss. De iure fisci, Anania consil. 12. Primo ad intellig. Hypolit. de Marf. ad Rubr. De probat. nu. 204.*

Porro adversus hanc imputationem excesscentium usurarum seu interesse ultra licitum modum, replicat Actor, quod Reus propriâ voluntate, & non coactus Actori huiusmodi solutionem interesse fecerit; quasi scilicet donasse videatur id, quod supra legitimum modum est; ideoque illius nulla sit vel repetitio, vel imputatio in sortem, *l. Donavi, l. Cuius per errorem De reg. iur.* Sed faciliè retunditur hæc replicatio, ex eo, quod donationis præsumptio in dubio non sit, *l. Campanus de operis libert. l. Cum de indebito De probat.* & quod ista solutiones successivè factæ sint, respectu præteriti debiti; ratione usurarum seu interesse dictæ legatæ summæ mille octingentorum florenorum, ut convincitur non tantum ex apochis, seu quitantijs in hac causa exhibitis, & ex testimonio præmentionati Iacobi Scharon; verumetiam ex propria Actoris confessione. Ita ut cum manifestum sit nomine formalium usurarum, quas Actor honestiore titulo interesse velare nititur, easdem solutiones esse factas, donationis præsumptio avertatur, *Geminianus consil. 112. Premitto*, & improbitas exactionis Actoris ultra licitum modum detegatur; ideoque quod ultra illum solum reperitur, lucro Actoris cedere non debeat, sed omnino imputari in sortem, ex apertissima Iustiniani constitutione, *d. l. Eos §. si quis autem*.

Quod satis animadvertens Actor, ad aliam exceptionem confugit; quâ, allegando Reum esse manifestum usurarium, contendit eum fundatum non esse ad imputandum in sortem, quod Actor ad causam interesse solvit, ultra legitimum & permittum interesse seu redditum modum, priusquam ipse restitutionem usurarum, quas ab alijs recepit, fecerit.

fecerit: propter Iuris Pontificii constitutionem, in c. Quia frustra De usur. quā cavetur, quod si quis à Pontifice literas impetraverit super restituendis usuris, vel fructibus computandis in sortem, nisi prius restituerit usuras, quas ab aliis nescitur recepisse, auctoritate illarum literarum non audiatur.

Ceterum huiusmodi exceptio seriùs proposita est, non tantum post litem contestationem in hac causa factam; sed etiam post conclusionem, quam pro admissione huiusmodi exceptionis Actor retractari petiit, ideoque minimè in consideratione habenda. * Est enim hæc exceptio, quam Lapsus usurarium vocat, Allegat. 53. non peremptoria, sed prorsus dilatoria iudicii; ut uno ore omnes Interpretes ad dictam Pontificiam constitutionem tradunt, in d. c. Quia frustra, Gemman. conf. 88. Quidam usurarius; ob id, quod per illam usuratio repetenti, vel imputare volenti usuras, tantum denegetur audientia, his verbis, Nullatenus audiatur, Innoc. Hostien. Ioan. Andreas, Pet. Anchar. Ant. de Butrio, Panor. Ioan. de Anania & alii in d. c. Quia frustra; ideoque, ut alia dilatoria exceptiones, proponenda erat ante litem contestatam, c. Pastoralis De except. Vsq. adeo ut per Iudicem ex officio opponi non possit, si pars eam tempestivè non obiciat, Innoc. in d. c. Quia frustra & ibi Collectanus, Lapsus d. Allegat. 63. sic ut si in ea non obiecta in causa processum sit, & repetens vel imputare volens, super repetitione vel imputatione auditus, non possit postea, præsertim in fine litis, amplius de perceptis ab alio usuris obici, ut aperte tradit Panormitanus, in d. c. Quia frustra nu. 9. Eoque sanè minus in hac exceptione usuraria Actor audiri debeat, quod illam objecerit non ad processum, sed ad meritā causæ, proponendo Reum non esse fundatum; quod est de natura peremptoriae exceptionis: cum hæc exceptio usuraria non perimat repetentis vel imputare volentis intentionem, nec tollat naturalem, nec civilem obligationem, qua recipiens usuram solventi obstrictus est, c. Debitores De inveni. sed suspendat tantum iudicium; & sic differat non perimat, Lapsus Allegat. 120. Lud. Rom. conf. 285. Omnia ad decisionem. Cum ergo Actor non tantum suo tempore, hoc est ante litem contestatam, seu statim post, non objecerit Reo istam exceptionem in vim dilatoria, ad denegandam ei audientiam super hac imputatione usurarum receptarum in sortem; sed præterea Reum etiam ad deducendum huiusmodi solutiones coegerit, per tria superius mentionata iudicis decreta, & idem Reus super huiusmodi allegatione, & imputatione plenissime auditus sit, & adversus illas Actor peremptoriè replicaverit, frustra post hæc omnia Actor refugium capit ad usurariam exceptionem; cuius usus alioqui etiam admodum angustè patet,

28 Nam communi Doctorum sententiā receptum est, odiosam esse eam exceptionem, tamquam exorbitantem à regulis juris communis, quibus cavetur, quod nemo audiatur excipiens de iure tertii, quod non sit exclusivum juris adversarii, l. Si cum exceptione §. Podius De eo quod met. caus. Bart. in l. 2. De except. rei iudic. Rom. conf. 347. Quoad articulum; * & quia odiosa est, strictè esse accipiendam, & concludendam intra limites verborum dictæ constitutionis Pontificiæ; ideoque, cum loquitur de Iudice delegato, illius usum non esse eoram Iudice Ordinario, Doct. in d. c. Quia frustra, Lapsus Allegat. 55. Et quamvis Ludovicus Romanus in una causa consultus hanc differentiam delegati & ordinarii Iudicis rejecerit, confil. 285. Omnia ad decis. in alia tamen eam sequitur & approbat, confil. 238. Pro habenda nu. 11. ut communiori opinioni magis adhaerendum sit, saltem in eo, quod strictè accipienda sit illa constitutio. Ex

quo potest inferri, illi locum esse non posse in hac causa, etiam si tempore debito opposita fuisset; ideo, quod Reus nullas literas Apostolicas impetraverit ad finem vel repetendi, vel in sortem computandi usuras; sed conventus ab Actore auctoritate literarum Apostolicarum excipiendi se tantum defendat, ut nullo casu possit cōdemnari ad numerandum Actori dictos mille octingentos florenos, ut illos in usus sibi placentes convertat. Vnde etiam est, quod Lapsus tradere videatur, d. Allegat. 55. quod huic exceptioni seu replicationi locus non sit adversus Reum se defendentem per allegationem solutarum usurarum, & imputationem illarum in sortem; ut in proposito facit Actor; quemadmodum nec adversus Reum se defendentem locum habet exceptio excommunicationis, quæ agenti tantum obstat, c. Intelleximus De iudiciis. Nec mirum est sic restrictè accipi dictam Pontificiam constitutionem adversus eum tantum, qui per literas Apostolicas impetrat Iudicem super repetitione, seu imputatione usurarum; ob id, quod literæ huiusmodi impetratæ sint, eo suppresso & subdito, quod impetrans etiam ab aliis usuram acceperit, nec restituerit: quia eo expresso non est verosimile Pontificem huiusmodi delegatorias fuisse cōcessurum; ut superius diximus de vitio suppressionis per Actorem in impetrandis literis ex quibus nunc agit commissio. Quibus omnibus mature expensis, existimamus officium Venerabilis D. Iudicis esse, ut sententiam in hac causa dicat, secundum conclusionem pro parte Rei propositam, non tantum quoad principale, sed etiam quoad litem expensas: præsertim propter dicti Actoris impetrationem per doloſam obreptionem & surreptionem, quæ huic liti causam dedit.

ADDITIO.

Ad dubia, quæ proponuntur in causa M. Antonii Zoy Actoris, & Iacobi du Boys Rei, in qua nuper latè scripsimus, nec perplexa, nec difficilis est responsio. Nam ad id, quod primo loco proponitur, an ex actis constet de aliquibus conjecturis, ex quibus detegi aut probari possit, quod Actor in impetratione literarum Apostolicarum, sive narrando, sive tacendo fraudem, dolum, vel malitiam, admiserit? Respondetur, primum ex ipsarum literarum Apostolicarum lectione deprehendi Actorem suæ Sanctitati asseruisse, quod ipse à suis agnatis proximioribus obtinuerit cessionem iurium ipsis competentium: deinde ex actis causæ patere formalem & positivam allegationem Actoris, quod à proximioribus agnatis & consanguineis obtinisset remissionem fideicommissi. Iam verò in nulla parte actorum, nec in exhibitis instrumentis, invenitur, aliqua huiusmodi assertionis probatio; cum tamen ad illam probandam Actor se adstrinxerit, & terminos probandi sibi concedi obtinuerit: * ita ut cum non appareat huiusmodi assertionis aliqua probatio, esse non credatur, l. In lege De contrah. egypt. l. Si bina & ibi Castrensis De iniusto rupt. &c. & cum non sit manifestum, sit assertionem esse falsam, eaque in parte Actorem esse mendacem precatorem. Ita enim & civilia, l. Prascript. l. Et si legibus C. Si contra ius, l. ult. C. De divers. rescript. & Canonica jura, c. Sedes, c. Super literis De rescript. appellant eum, qui supplicando Papæ aut Principi narrat, quod verum non est, aut verum esse probare nequit. Et si enim in surreptione, hoc est in taciturnitate ejus, quod narratum esse oportuit, probare debeat, qui surreptionem obicit; in obreptione tamen seu falsi suggestionis onus probandi id, quod pro vero suggestum est, incumbit impetranti, tamquam assertori, l. 2. De probat. Ioan. Andrea in c. 1. n. 2. De liti contest. Panor. in c. fin. n. 8. De presum. Rebuff. ad consil. regis tit. de rescriptis in presat. n. 56. tomo 2. in quo

qui deficit, falsum per mendacium suggestisse deprehenditur: in mendacio autem non potest non esse dolus, & fraus, *can. Is autem xxii. q. 2.*

- 31 Verum quidem est sine mendacio, & sine intentione fallendi, quem posse pro vero asserere, quod verè falsum sit, si id putet verum esse, ideoque talem mendacem in dolo aut fraude non esse; cumque falli magis, quam fallere, *d. can. Is autem versic. nemo mentem;* cum ex ignorantia & simplicitate interdum falsum asseratur; inter cuius generis falsum, & id quod per fraudem ac malitiam fit, discrimen ponitur etiam in hoc articulo de impugnando rescripto toto, ob falsum suggestum in una illius parte, *d. c. Super literis & ibi Rayn. nu. 3. **
- 32 Sed non potest id applicari ad hanc Actoris assertionem, quæ nec ex simplicitate, nec ex ignorantia est; ob id, quod sit de facto proprio, quod scilicet ipse obtinuerit à proximioribus agnatis hanc cessionem seu remissionem. In facto autem proprio non est probabilis error vel ignorantia; quæ ob id etiam non præsumitur, *l. fin. D. Pro suo, c. Ab excommunicato De rescript. quia quilibet de suo facto certus esse debet, l. Cum falsum De acquir. hered. præsertim in re, cuius memoria recens, non de longinquo est, c. Cum illorum De sentent. excommunic. Rom. consil. 481. Præsentis dubitationis nu. 6. & maxime ubi non de damno evitando, sed de indebito lucro captando agitur. Ut est in proposito, in quo Actor ad movendum suam Sanctitatem ad huius fideicommissi commutationem, eam assertionem fecit, quæ sua Sanctitas expressè declarat se maxime motam fuisse ad concedendam hanc gratiosam commutationem; quam nulla ratione erat concessura, si id assertum non fuisset.*
- 33 * Nulla enim talis est præsumptio, potissimum quia in potestate Papæ non sit, dictis agnatis hominibus laicis, ejus jurisdictioni & potestati in temporalibus minime subjectis, spem huius fideicommissi per exorbitantem hanc commutationem eripere. Etsi enim Papa clericis possit liberè auferre beneficia, quia scilicet jus ac potestatem in clericos, & beneficia, habet, *c. 1. De præbend. lib. 6. Clem. 1. in fine Ut lite pendente &c. laicis tamen nihil ita ex absoluta etiam potestate auferre potest, Doct. in l. Barbavins Philippus & ibi Layson nu. 43. De offic. Præsid. Ioannes Rubens consil. 155. Dubitatur in fine. Sic igitur exclusâ ignorantia, includitur necessariò scientia Actoris; quod hæc narratio seu suggestio de cessione seu remissione agnatorum fuerit falsa; & ex consequenti dolosa & fraudulenta. * Vnde etiam est, quod qui à*
- 34 Papa beneficium assequutus est, narrando se nondum aliquod beneficium assecutum esse, quod tamen in rei veritate, quamvis exiguum assecutus erat, nullum emolumentum consequatur ex rescripto huiusmodi collationis: ideo scilicet (ut dicit Pontifex, in c. Si proponente in fine De rescript.) quod fraudulenter sit obtentum. Ut generaliter ideo leges & Canones dicunt mendacem precatorem carere impetratis, quia fraus & dolus nemini patrocinari debeant, *d. c. Sedes, d. c. Super literis, d. l. Etsi, d. l. Prescriptio;* quia scilicet ignorantia in facto proprio improbabilis sit: & propterea falsum in proprio facto narrans, nullius ignorantia prætextu juvari meretur. Et in literis quidem gratiosis præsumitur semper falsitas expressa cum dolo, *Innocent. in c. Accedens De crim. falsi, & in c. Dilectus 1. De rescript. Nicol. Everard. Præses consil. 59. Magnifici in fine, & consil. 101. Reverende Domine.*

Secundum dubium est, quia ex actis constat omnes solutiones ex parte Rei factas, fuisse & esse factas super usuris, nulla sortis principalis mentione factâ, quam tam ex confessione Rei, quam ex ejus literis constat

adhuc esse apud Reum; quomodo hoc simul stare possit cum allegatione Rei, quæ dicit sortem per prædictas solutiones extinctam & absorptam esse. Pro cuius resolutione dico, verum quidem esse, Reum, quicquid hæcenus Actoris ratione legati mille octingentorum florenorum solvit, solvisse nomine & titulo usurarum, & minime cum expressione, quod aliquam solutorum partem vellet in sortem, quatenus legitimum modum interesse excederent soluta, imputare; sed id allegationi Rei de extincta & absorpta sorte nihil repugnat. * Neque enim ut quid amplius, quam legitimus modus usurarum patitur, in sortem imputetur, necesse est per solventem exprimi; quia ex juris potestate id est: nam jus ipsum id quod ultra solutum est, in sortem imputat, & imputari posse disponit, *l. 1. c. De solutionib. l. In us & fin. de solut. l. Si non sortem De conditi. indeb. etenimque sortem ipsam minui vult, l. Eos & si quis autem vers. nam si quid C. de usur. etiam si de minuendo & imputando nihil tempore solutionis dictum sit, vel etiam si expressè dictum sit, nomine usurarum solvi: quia quod ultra legitimum modum est, indebitum est; ideoque vel sortem imputandum; * vel si imputationis deest occasio, quia sortem, non obstante huiusmodi solutione, fors postea soluta est, aut post sortem solutam usura solvuntur, datur indebiti conditio, *l. Indebitas C. De usur. d. l. Si non sortem & si quis falso.* Proinde hæc inter se non pugnant, sed optime stare possunt; quod Reus allegaverit solutiones esse factas super usuris, & tamen sortem ipsam, propter excessum legitimi modi in huiusmodi solutione esse extinctam & absorptam. Nec repugnantiam aliquam in his facit, quod Reus in hac lite confessus sit se hæcenus habuisse, & adhuc sub se habere dictos mille octingentos florenos ex voluntate & consensu Actoris; nam id non simpliciter ita dixit, sed cum adjunctione horum verborum, quod ad causam illorum mille octingentorum florenorum Actoris diversas pecuniarum solutiones successivè fecerit: ita ut in illis prioribus verbis non possit constitui absoluta confessio debitorum adhuc sortis, aut imputationis non faciendæ. Quinimo si sine adjunctione illa id ita dictum esset; non posset tamen inde constitui aliqua obligationis, seu stantis adhuc sortis, respectu Actoris confessio. Nam respectu eorum, ad quos hæc pecunia seu reditus inde constituendus, pervenire debet, eveniente fideicommissi conditione, quæ adhuc pendet, verè sub ipso Reo adhuc sunt & esse debent dicti mille octingenti floreni; qui pro nulla parte diminuentur per imputationem aliquam solutarum usurarum ultra legitimum modum; quia illa solutio eis facta non est, sed ipsi Actori, cui tantum fieri posset illa imputatio ad diminutionem sortis, casu quo ad illum, aut ejus heredem plenè, & perpetuo jure pertinere posset hæc legata pecunia, seu reditus inde constituendus; vel per hanc Pontificiam commutationem, verificatis omnibus pro illius impetratione narratis. Cum ergo tempore dictæ confessionis, atque item scriptarum iuramentationarum literarum, Reus putaverit se adhuc stare in obligatione huius pecuniæ, respectu dicti fideicommissi; merito dicere & fateri poterat, illam pecuniam, hoc est obligationem illius, adhuc sub se habere: quod Reus minime fatebitur, si & cum certum erit hanc legatam pecuniam seu reditum pleno jure ad Actorem pertinere: ita ut, quamvis Reus suæ temeritati imputare debebit, quod Actori tam multa solverit, si eveniet dies fideicommissi præstandi, non deest tamen, prout nec deest, ei facultas imputationis ex his solutionibus tunc, cum vel per defectum conditionis, vel per sententiam in hac causa ferendam, sortem declarabitur ex hac*

ex hac Pontificia commutatione, dictam pecuniam in toto vel parte ad Actorem spectare. Nec sane mirum, si id possit Reus; cum etiam si ultro nunc solveret sortem, non posset prohiberi petere, quæ ante illius solutionem indebitæ, supra legitimum modum nomine usurarum, solvit: quasi sortem, ipso jure sic per antecedentes solutiones extinctam & absorptam, indebitæ solverit, d. l. si non sortem in verb. etsi postea sortem solverit, sortem quasi indebitam repeti posse.

37 Per quæ patet etiam solutio ad tertio loco propositum dubium; an ex prædictis literis præfati Rei valde probabiliter constet solutiones usurarum ante datam earundem dicto Actori factas re ipsâ Actori fuisse & esse remissas; dum Reus adhuc per easdem literas offert solvere septem pro centenario; imò ex consensu Actoris prædictam sortem ad reditum applicare; & proinde imputatio in sortem in actis mentionata jure fundata sit. Nam prædicta imputatio & diminutio sortis, quam jus facit per indebitam usurarum solutionem; avertit considerationem remissionis; quæ contineret donationem; cujus in dubio nulla est præsumptio; l. cum de debito de probationib. etiam si sciens se non debere illas solverit; vel solvere promiserit; quia propter odium usurarum, & improbitatem creditoris; majores illicitas & indebitas usuras stipulantis vel accipientis; non obtinet in hoc articulo vulgaris juris regula; l. cuius per errorem de reg. iur. quod indebiti scienter soluti nulla sit repetitio; propter præsumptam in solvente donationem. Nam qui usuras indebitas solvit, præsumitur id fecisse, non animo & cogitatione donandi, sed velut ex hypothetica necessitate: ne scilicet super sorte principali molestetur à creditore; quæ conjectura potius arripienda est, quam donationis; Bart. in d. §. si quis falso, Alexan. cons. 80. Circa primum nu. 12. vol. 3. Quinimò si constaret Reum apertè & formaliter remississe; vel donasse Actori quicquid ultra legitimum modum solvit, nihilò magis impediretur hæc imputatio, vel post solutionem sortis repetitio: idèò quod remissio, quam debitor creditori usurario facit, præsumatur non liberali animo facta, sed simulata; colorata, & extorta metu; ne duriores habeat creditorem in præcipitanda seu acceleranda repetitione, & spe gratiosiore sibi faciendi ipsum creditorem; Bald. in l. ab Anastasio nu. 4. C. Mandati, Castren. in l. Rogasti §. si tibi nu. 47. Si cert. perat. ut ex facto consilius eleganter respondit Alexander, d. consil. 80. nu. 13. Manifestum igitur est per dictas literas continentes tantum obligationem continuandæ solutionis minorum usurarum; aut applicandæ hujus pecuniæ ad seditum, non posse constitui cogitationem aut præsumptionem donatarum vel remissarum usurarum, sic indebitæ & ultra licitum modum solutarum; cum aperta & formalis remissio non sufficeret; præsertim quia tempore dictarum literarum non constabat, nec erat ulla apparentia, quod hæc pecunia pleno jure ad Actorem perventura esset.

38 Quartum dubium est, an sicut post litem contestatam proponi possint exceptiones dilatoriae, quando imminet periculum animæ; ita quoque Cons. Wamcl. Tom. II.

in hac causa post litem contestatam proponi poterit ex parte Actoris exceptio usuraria, in qua etiam versatur hoc periculum? Ex qua dubitandi ratione Ludovicus Romanus; cons. 285. *Omni ad decisionem nu. 4.* ad stabilendam singularem suam opinionem, qui reclamantibus communiter omnibus immemor ejus, quod in contrarium prius responderat; cons. 238. *Pro habenda nu. 10.* existimat; exceptionem hanc usurariam perinde habere locum coram ordinario, ut delegato Iudice; ob id; quod hæc exceptio sit inducta ad dislqueationem animarum à peccato; in qua quia favor consistit, putat facillimè de persona ad personam fieri extensionem. Sed ut illa ejus singularis opinio; communi ab omnibus receptæ opinioni in eo articulo non congruit, ut priore nostrâ consultatione deduximus; ita in hoc, de quo nunc agimus; recipienda non est ad ampliandum facultatem opponendi eandem exceptionem, etiam post litem contestatam (quod tamen omnes uno ore negant; & rectè, *Doct. in c. Quia frustra de usur.* & etsi enim in exceptione excommunicationis id singulari ratione (propter periculum communicationis, in quo consistit periculum animæ) receptum sit, ut etiam post litem contestatam quodcumque obici possit, c. 1. *De except. lib. 6.* in aliis tamen exceptionibus, ubi periculum tale non est, idem non debet extendi. * Periculum enim communicationis cum usurario etiam manifestum non est; quia usura-rius communione hominum privatus non est, nec pro excommunicato habetur, nisi quoad tria; videlicet quoad communionem altaris, oblationes, & sepulturam; c. *Quia in omnibus de usur.*

Ideoquæ hæc exceptio usuraria interesse partis, excipere valentis; magis respicit; cui vel expressè, vel per procelum ad ulteriora post litem contestatam utique renuntiari potest; sine ullo periculo animæ non excipientis. Et periculum animæ ipsius usurarii, repetentis ab alio usuras, aut volentis fructus ab alio creditore usurario perceptos imputari in sortem, si adversus illum non excipiatur; hic considerabile non est; cum semper maneat in potestate Iudicis compellere tam agentem, quam excipientem ad restitutionem usurarum; *Doct. in d. c. Quia frustra.* Et cum impossibile sit, ut factum infectum fiat, l. *Si ita fuerit de manus. restam.* & ibi Gloss. & hæc usuraria exceptio tantum eò tendat, ut repetens, vel imputare volens, non audiat; sit, ut si omisa exceptione auditis sit; ampliùs adversus eum de usuris per eum aliis non restitutis, excipi non possit; ut rectè tradidit Panormitanus, in d. c. *Quia frustra in fine:* quod non tradidisset, si existimasset adversus eum, postquam semel ad plenum auditus fuit, adhuc in quacumque parte iudicii excipi posse. Per quæ arbitramur propolita dubia satis resoluta.

De Testamentis.

S V M M A R I V M.

Legati pii commutatio.

1. Legatæ ad certum usum regulariter non possunt in alium converti.

Y 2

2. 4. Papa